pter amorem et honorem tanti Doctoris, quem ex corde reveremur, semper exhorruimus.

Quoniam hac nostra aetate produci solet in medium auctoritas Concilii oecumenici Viennensis, nec philosopho catholico licet eam auctoritatem contemnere, oportet ut inquiramus quid definitio viennensis conferat ad hanc quaestionem.

Thesis XIV[a]

Frustra vero sunt qui ex definitione Concilii Viennensis colligere se posse putant, causalitatem formae, qua anima erga corpus gaudet, eo spectare, ut sit quoque forma corporeitatis corpori tribuens formaliter ipsum esse corporis physici.

1.° Ante celebrationem Concilii Viennensis an. 1311 revixerat penes quosdam haeresis Apolinarii. Ferunt historici, et qui Concilia notis illustrarunt, definitione Viennensi, quae ad unionem spectat animae rationalis cum corpore, damnatum fuisse errorem cuiusdam Petri Ioannis Olivi minoritae, cuius plurimi alii errores damnati sunt ab eodem Concilio. Quinam vero fuit ille error Petri? Non sunt admodum solliciti historici in eo declarando. Plures vero Petri errorem indicant hoc pacto, asserentes nempe negasse Petrum id quod Concilium contra eum definivit: animam nimirum rationalem esse formam corporis; ex quorum testimonio liquet nihil perspicui posse colligi. Guido autem Prior. Gen. Carmelit. postea Episcopus Maioricensis, qui claruit an. 1330 et scripsit volumen de *omnibus haeresibus*, rem ita declarat, ubi de haeresibus eiusdem Petri disserit. « Secundus error Petri Ioannis et eius asseclarum, qui dicunt etiam quod anima rationalis in *quantum rationalis* non est forma corporis. In quo errant. Nam negare animam rationalem esse partem essentialem et formam corporis est haereticum; quia tunc homo non esset formaliter per aliquid sui, divini capax praecepti, non esset transgressor, nec observator..... cum haec conveniant homini propter animam

rationalem quae habet intellectum et voluntatem: quod non potest convenire homini qui non est formaliter homo per animam rationalem, si non sit forma corporis, quia homo non est homo nisi per suam materiam et suam formam, quae illam materiam informat... Sed secundum Petrum Ioannis anima ut rationalis non est forma corporis, ergo homo non est homo per animam rationalem; quod est haereticum... A viris catholicis errores contra fidem damnantur.... ut error Averrois qui negat animam intellectivam formam corporis, et per consequens huiusmodi error quo negatur homo esse animal rationale in quantum homo. » Quomodo autem accipienda sunt verba Guidonis quod Petrus negaverit animam rationalem *in quantum est rationalis* esse formam corporis ? Si enim presse verba accipiantur ut hic sit sensus quod *anima reduplicative accepta ut intelligit et vult, non est corporis actus;* hic non est error sed veritas (S. Thomas. I p. q. LXXVI a. 1 ad 4). Quid ergo voluit dicere Guido? An quod Petrus unam asserens animam distinguebat in ea potentias duplicis ordinis, sensitivas et rationales, et secundum sensitivas potentias volebat animam esse actum corporis, secundum rationales vero non esse actum corporis? quae opinio innui a Guidone videtur, dum ibidem recitat defensionem quamdam sectatorum Petri; verum hactenus nullus est error, sed est ipsa sententia Thomae mox allata. Fatendum est quidem non adeo clare a Guidone fuisse propositam sententiam Petri; nihilominus ex contextu sermonis, et argumentis, quibus utitur Guido, satis colligi potest indoles erroris Petri. Negavit scilicet animam quae est rationalis, seu intellectivum principium, esse secundum suam essentiam formam hominis, h. e. id per quod homo constituitur homo; ideoque negavit ad essentiam hominis animam rationalem pertinere; ipsumque principium intellectivum spectasse ad naturam humanam assumptam a Verbo. Contra hunc errorem recte procedunt argumenta allata a Guidone, quae admissa alia interpretatione nullum sensum haberent. Hic autem est error Apolinarii.

Praeterea nou multo ante Concilium Viennense Stepha-

nus Parisiensis proscripserat plures propositiones, quae modum unionis animae rationalis cum corpore impetebant. Anno enim 1276 has damnavit propositiones: « quod intellectus non est forma corporis nisi sicut nauta navis; *nec est perfectio essentialis hominis.* » Item « *quod ex sensitivo et intellectivo non fit unum per essentiam* nisi sicut ex intelligentia et orbe, hoc est unum per appositionem. » Anno autem 1270 iam proscripserat has duas alias propositiones nempe « quod illa propositio est falsa vel impropria *homo intelligit;* » quia nimirum homo per sensitivam animam constituitur; cui accidentaliter accedit anima intellectiva: et « quod anima quae est forma corporis corrumpitur corrupto corpore. » Scilicet volebant animam, quae est forma corporis, esse sensitivam, quae iuxta Scholasticos corrumpitur corrupto corpore. Quare constat ea aetate non exstitisse quidem errorem circa modum unionis cum corpore illius animae, quae proprie censeretur anima h. e. principium vitae; quandoquidem anima sensitiva, quae ab iis pro vera anima habebatur, diceretur *forma corporis;* sed 1) exstitisse errorem circa unitatem principii viventis, cum praeter animam sensitivam intellectivum principium ab ea distinctum poneretur; et proinde 2) circa modum quo principium *intellectivum* unitur corpori. His porro erroribus sententia Apolinarii continetur.

Origo huius erroris in occidente ab Averroe repetenda. Praecipuum enim e dogmatis Averrois hoc fuit: principium intellectivum distinctum esse ab anima sensitiva, ipsumque non coniungi corpori ut formam. Huc spectat articulus 1 q. LXXVI, I p. Summae S. Thomae, in quo S. Doctor directe quaestionem non agit quinam sit modus quo id, quod est anima, coniungitur corpori, sed utrum principium intellectivum sit id quod eo modo coniungitur, sive utrum sit forma corporis, quam quaestionem disputat contra Commentatorem, qui non negabat modum unionis, sed negabat principium intellectivum esse illud quod eo modo corpori unitur.

II. Definitio autem Concilii Viennensis sub Clemente V lata anno 1311 haec est: « Fidei Catholicae firmiter inhaerentes aperte cum sancta Matre Ecclesia confitemur Unigenitum Dei Filium in iis omnibus, in quibus Deus Pater exstitit, una cum Patre aeternaliter subsistentem, *partes nostrae naturae* simul unitas, *ex quibus* in se verus Deus exsistens *fieret verus homo, humanum* videlicet *corpus passibile,* et *animam intellectivam* seu *rationalem ipsum corpus vere per se et essentialiter informantem* assumpsisse.... Doctrinam omnem seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animae rationalis seu intellectivae vere ac per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati catholicae Fidei inimicam, sacro approbante concilio, reprobamus, definientes, ut cunctis nota sit Fidei sincera veritas, ac praecludatur universis erroribus aditus ne subintrent, quod quisquis deinceps asserere defendere seu tenere pertinaciter praesumpserit quod anima rationalis sive intellectiva non sit forma corporis humani per se et essentialiter, tanquam haereticus sit censendus. « Manifestum est 1° proscribi errorem Apolinarii, ut ex prima parte definitionis patet: quacum altera necessario cohaeret. Cf. errores ea aetate proscriptos a Stephano parisiensi. Liquet 2° doceri heic *a)* partes naturae humanae esse corpus et animam rationalem; *b)* his duabus partibus simul unitis absolvi totum hominem; nam ex iis unitis dicitur fieri verus homo; et principium intellectivum, quod anima vocatur, dicitur informare per se corpus, seu esse forma per se corporis, *forma* autem corporis in viventibus certissime est principium vitae; excluditur ergo necessario alia anima quae vivificet corpus, quod a principio intellectivo per se vivificatur. Quocirca anima rationalis dicitur forma corporis *per se*, h. e. *non per accidens*, ac si unio sit accidentalis; item *non per aliud*, nempe mediante anima sensitiva, sed per se ipsam ad constitutionem unius completae naturae coniuncta corpori. Rursus dicitur forma corporis *essentialiter*, h. e. ad id ex essentiâ sive naturâ suâ ordinata, et non per simplicem ἐνεργειαν, sed essentia sive οὐσιᾳ sua forma exsistens corporis. Sanctissimus Pontifex Pius IX in Brevi ad Archiepiscopum Co-

loniensem an. 1857 addidit ad uberiorem rei explicationem alium terminum, scilicet *immediata:* anima quippe rationalis forma est immediata corporis, quia non mediante alia anima sensitiva, sed ipsa per essentiam suam est forma corporis. Haec est doctrina Concilii Viennensis qua dogma dichotomiae stabilitur. Hinc renascente rursus trichotomiae errore, qui est error Apolinarii, Sancta Sedes eum iterum damnans, ait laedi doctrinam traditam in Concilio Viennensi. Cf. Breve Pii IX citatum.

III. Haec sunt extra omnem dubitationem posita. Verum nemo est qui nesciat verba allata Concilii solere a quibusdam hac aetate afferri ad aliud quoque doctrinae caput probandum vel confirmandum, nimirum animam rationalem esse formam corporis eo speciali modo, quo a quibusdam accipitur, hoc est ita ut ipsum quoque esse substantiae corporae corpus ab anima accipiat. Argumenta eorum huc redeunt: quia nimirum 1) haec est vis huius formulae *forma corporis*, ratione habita usus eiusdem formulae in Scholis Catholicis aetate Concilii; quia 2) hanc interpretationem flagitant addita *per se* et *essentialiter:* quia 3) id quoque postulat conceptus unitatis substantialis hominis, qui a decreto Concilii exhibetur.

IV. Re penitius inspecta, omnique partium studio semoto, respondendum censemus, definitione Concilii Viennensis tria contineri, nimirum α) unitatem principii vitae in homine, β) principium hoc unicum esse ipsum principium intellectivum, γ) hoc autem intellectivum principium uniri cum corpore non per accidens, non ad modum motoris, non alio mediante, sed tanquam formam ipsius per se et essentialiter. Idcirco ea definitione fit satis his tribus quaestionibus: quotuplex est vitae principium in homine; si unicum, quodnam est; quomodo illud unitur corpori. Verum quoad hoc tertium quaestio aliqua exsistit. Concedunt omnes definitum esse modum unionis animae rationalis cum corpore, quatenus definitum est animam rationalem esse per se et essentialiter formam corporis, qua formula dicitur animam intellectivam esse principium vitae corporis, principium

non efficiens sed formale, essentia sua coniungi corpori, atque cum eo constituere unam integram naturam, cuius ipsa est pars formalis. Haec liquent ex conceptu formae. Concedimus etiam huius rei definitionem esse directe intentam a Concilio: Concilium enim voluit definitione sua sinceram doctrinam catholicam proponere contra renascentem haeresim Apolinarii, et praecludere aditum omnibus erroribus utique in hac materia: est porro error praecipuus in hac materia, quod anima rationalis non sit pars essentialis humanae naturae, non constituat unam completam naturam cum corpore; si enim admittantur haec, nutat eo ipso fides qua credimus Verbum assumpsisse animam rationalem. Huiusmodi porro errores excluduntur cum asseritur quod anima rationalis, sive intellectivum principium est forma corporis, idque per se et essentialiter. Directe ergo definitur a Concilio modus unionis animae rationalis cum corpore.

Itaque concedimus definitum esse a Concilio modum unionis animae rationalis cum corpore, qualem superius expressimus e verbis definitionis: atque concedimus definitionem huius directe intentam esse a Concilio. In quo ergo sita est quaestio? Scilicet in hoc. Modus iste unionis, quo anima est forma corporis, potest rursus dupliciter explicari; nempe, ut breviter dicamus, vel modo thomistico, vel modo scotistico. Recentiores quidam asserunt explicationem thomisticam esse unice veram interpretationem verborum Concilii. Id porro nos negamus. Ut autem quaestiones inutiles praecidamus, id nobis satis sit demonstrare nulla esse huius affirmationis argumenta petita sive ex vi huius formulae *forma corporis*, habita ratione usus eiusdem in Scholis catholicis ea aetate, sive ex additis *per se* et *essentialiter*, sive ex ipso conceptu unitatis substantialis hominis, qui conceptus definitione viennensi continetur.

V. Aiunt ergo Doctores isti, quibuscum congredimur, sensum illum subiiciendum esse iis verbis *forma corporis*, qui in Scholis catholicis, et praecipue ea aetate communis erat. Quandoquidem argumentum ducitur a decreto Concilii, spectari proprie debet usus eius aetatis. Itaque argumentum

primum huc redit. Concilium usum est hac phrasi *forma corporis* eo sensu qui in Scholis catholicis communis erat: atqui sensus communis is erat, ut significaret id quod immediate coniunctum materiae primae ipsam actuat, dans illi esse corporis, et cum ea constituens unam substantiam corpoream; ergo id significare voluerunt Patres Viennenses definientes animam esse *formam corporis*. Ex quo consequeretur quoque assertam fuisse implicite ea definitione materiam primam peripateticam. Igitur si demonstraverimus sensum illius termini complexi *forma corporis* communem in Scholis catholicis, quando de anima praedicabatur, non fuisse eum quem adversarii comminiscuntur, dissolutum erit prorsus eorum argumentum. Id vero demonstrabitur si probetur quod quamvis scholae omnes catholicae docerent animam rationalem esse formam corporis, plures tamen Theologi inter eos qui scientia et auctoritate circa illud tempus florebant, negabant animam rationalem coniungi immediate materiae primae, sed contendebant coniungi eam corpori iam formato, quod esse corporis ab anima non haberet; nullumque hac in re fuisse consensum omnium doctorum.

Iam vero ut ad demonstrationem gradum faciamus, ne turpi aequivocationi ab initio detur locus, advertimus quod aliud est quaerere *generatim* quinam fuerit sensus huius dictionis *forma corporis;* aliud quaerere speciatim quinam fuerit eiusdem sensus, cum de anima praedicaretur. Manifestum est hunc alterum non primum esse proprie quaerendum. Concilium enim animam asseruit esse formam corporis. Quare extra quaestionem vagantur et aerem verberant qui de primo sensu tantummodo solliciti sunt, vel ignorantes vel dissimulantes alteram determinatam magis significationem quam induebat *forma corporis,* cum de anima diceretur. Videntur enim supponere unum fuisse communemque sensum qui ab omnibus huic formulae subiiciebatur, atque hunc sensum esse Thomisticum; at demonstrare possumus convenisse quidem inter omnes quoad certum sensum huius formulae, nempe in eo quod anima sit formale principium vitae corporis, parsque essentialis hominis *unum per se* cum

corpore constituens; nequaquam vero consensisse omnes cum Thomistis quoad modum quo anima corpus actuet, imo dissensisse multos, et forte plures fuisse eos, qui Thomistis adversabantur.

Itaque, quoniam res agitur in facto posita, consulatur historia. Concilium Viennense celebratum fuit anno 1311; ante ipsum in altera parte seculi praecedentis floruerant Theologi insignes, Alexander Alensis Doctor irrefragabilis, qui obiit anno 1245; Henricus Gandavensis Doctor sollemnis mortuus anno 1293; Richardus a Media Villa Doctor fundatissimus, qui obiit circa annum 1300; Scotus Doctor subtilis, qui e vita cessit anno 1308. Aetate vero Concilii floruere Durandus Doctor resolutissimus, Petrus Aureolus, Ioannes De Baccone, Franciscus Mayronis Doctor illuminatus. Iam vero hi omnes, qui animam rationalem formam esse corporis docebant, in eam concedebant sententiam eamque acriter defendebant, quod nimirum causalitas formae, quae animae rationali erga corpus competit, non eo se porrigat ut ipsum esse corporis tribuat corpori, ideoque quod non coniungatur anima rationalis materiae primae, sed coniungatur corpori iam constituto in esse corporis independenter ab anima. Scilicet quamvis et ii systema peripateticum *de materia et forma* reciperent, distinguendum tamen putabant inter formam quae pars sit essentialis ipsius corporis, et formam quae pars sit compositi coalescentis ex ipsa et corpore. Illam admiserunt in corporibus inorganicis, eamque voluerunt uniri immediate materiae primae et cum ea constituere essentiam corporis, alteram ad viventia spectare censuerunt. Audiantur diserta eorum testimonia.

Alensis Doctor irrefragabilis in Summa Theologica p. 2. q. 44. De anima m. 4. haec habet « anima rationalis non est proprie actus materiae (h. e. materiae primae), sed actus naturalis corporis completi in forma naturali, quae forma dicitur *forma corporalis.* » Itaque iuxta Alensem *forma corporalis* sive *forma corporeitatis* in homine non est ipsa anima rationalis, sed eam formam anima supponit, quae

proinde anima unitur corpori completo in esse corporis. Unde in eadem quaestione m. 1° docuerat « utrumque (anima scilicet et corpus) in suo genere est completum nec recipit ulterius perfectionem sui generis, ut corpus non respiciat ulterius perfectionem corporalem in natura, vel anima perfectionem spiritualem in natura; nihilominus respicit corpus ulteriorem perfectionem spiritualem vel animalem *quae est mediante vita;* et haec est perfectio nobilior praedicta. » Igitur secundum Alensem anima rationalis est *forma corporis* quia ipsa est in eo principium vitae; non autem principium ipsius esse corporis.

Henricus Doctor sollemnis in quodlibet. II. qq. 2. 3. 4. 5. *utrum animâ Christi separatâ remansit aliqua forma in corpore eius:* propositis argumentis pro parte negante sic procedit « ad quam quaestionem, ut complete solvatur, duo necessario sunt consideranda. Quomodo via naturae necesse est ponere quod anima rationalis in homine uniatur materiae mediante aliqua forma naturali de potentia materiae inducta via generationis; secundum, quomodo via fidei necesse est ponere quod, animâ rationali separatâ, illa forma media remansit. » Probat via naturali quia generans naturaliter producit formam in materia quae disponit ad suscipiendam animam; quae forma si non manet, alia producenda erit quae disponat, et sic in infinitum. Rursus, quia anima adveniens nequit corrumpere formam commixtionis corporalis quae disponit ad ipsam, quia nulla contrarietas est inter hanc formam et animam. Subdit « Oportet igitur ut illa forma naturaliter genita de potentia materiae maneat in homine simul cum anima intellectiva supernaturaliter infusa. » Tum probat via fidei, auctoritate primum Augustini ex 3° lib. De Trinitate: deinde « nisi enim sic esset, nullatenus Virginem Mariam Genitricem Christi fuisse profiteri possemus secundum carnem. Non est enim pater vel mater secundum carnem, quia ab eo discinditur materia quae formâ carnis ab alio agente informatur, sed quia virtute seminis infusa de potentia materiae forma carnis generatur. » Concludit « Non ergo rationalis anima dat formam carnis, sed (forma

carnis) per generantes est de potentia materiae educta. » Aliud argumentum ex fide affert petitum ex eo quod corpus Christi mortuum fuit idem numero omnino ac corpus vivum; non fuisset autem idem nisi aequivoce, si forma dans esse corporis fuisset diversa. Videbuntur pluribus argumenta ab Henrico allata vel omnia, vel aliqua non concludere necessario; sed advertant modo quaestionem non esse de veritate huius sententiae, sed quaestionem esse utrum haec sententia admissa an reiecta fuerit a multis.

Richardus a Media Villa Doctor fundatissimus in II. Dist. XVII. a. 1. q. 5. ait « In Adam fuit aliqua forma substantialis incompleta cum anima intellectiva, et ita est in quolibet alio homine, quae educitur de potentia ipsius materiae, ex qua et materia constituitur unum compositum incompletum, quod cum aliquibus suis accidentalibus dispositionibus incompletis est materia proxima et propria ad recipiendam animam intellectivam. »

Scotus Doctor subtilis in IV. Dist II. q. 3. docet quod licet unius entis unum sit esse, duplex tamen est esse, simplex nempe et compositum; unde totius compositi unum est esse, et tamen includit multa esse partialia. Nihilominus formale esse totius compositi est principaliter per unam formam, qua totum compositum est hoc ens: ista autem est ultima adveniens omnibus praecedentibus. Deinde probat in homine esse *formam corporeitatis* praeter animam n. 64. « Hic est necessitas ponendi plura. Et quae? illa certe quae est ratio universaliter distinguendi hoc ab illo, scilicet contradictio, quae est immediata ratio distinguendi plura sub ente... Sic in proposito, forma animae non manet, corpus manet (cum mors contingit); et ideo universaliter in quolibet animato necesse est ponere illam formam, qua corpus est, aliam ab illa qua est animatum. » Tum probat ex corpore Christi mortuo identico corpori vivo, tum ex mysterio Eucharistiae; quam demonstrationem iam proposuimus.

Durandus (1) Doctor resolutissimus qui obiisse dicitur

(1) Erunt qui Durandum nonnisi ex quorumdam Theologorum

anno 1333. in III. Dist. XXII. q. 1. haec habet « Si in homine sit talis pluralitas formarum ita quod Christi corpus sit corpus per aliam formam ab anima, quae maneat eadem in corpore vivo et mortuo, tunc dicendum est quod a tali corpore nunquam separata fuit Deitas... et secundum hanc opinionem corpus Christi fuit idem numero non solum identitate suppositi, sed etiam naturae, quia mansit ante mortem et post mortem eadem materia et eadem forma numero... Et haec opinio multum consonat cum dictis Scripturae, et cum omni modo loquendi fidelium qui credunt et dicunt quod idem Corpus Christi, quod fuit natum de Virgine et passum in cruce, fuit positum mortuum in sepulcro. Si autem in homine non sit alia forma substantialis praeter animam rationalem, tunc necesse est aliud aliqualiter dicere... et si hoc est aliquod quod videatur scrupolosum vel propinquum errori, totum procedit ex suppositione quod in Christo non fuerit aliqua forma substantialis nisi sola anima rationalis. Cui suppositioni non oportet pertinaciter adhaerere, ubi videretur quod ex ea sequeretur aliquid propinquum errori. »

Ioannes de Baccone qui obiisse dicitur anno 1346 Carmelita Doctor Parisiensis in III. Dist. XIX. q. 2. « Utrum corporeitas et anima intellectiva differant in homine, » h. e. utrum forma corporeitatis sit alia ab anima intellectiva; respondet » Dico quod in homine corporeitas differt ab anima intellectiva. »

Franciscus Mayronis Gallus Doctor illuminatus qui obiit anno 1325 in II. Dist. XVI. q. 1. « Utrum in corpore hominis organico sint plures formae substantiales » resolvit affirmative; aitque esse in homine plura individua partialia, sed unum totale essentiale; negat autem quamlibet naturam

citationibus cognoscentes mirentur nos aliquid ei tribuere. Audiant isti iudicium gravissimi et sapientissimi Theologi Cardinalis Pallavicini. Del Bene L. II. c. 3. « Acuto fu sempre l'intelletto di Durando, perciò che sempre o insegnò il vero, o mosso da potente ragione, e molto ben colorata di vero, incespò nel falso. »

cum forma facere suppositum; quia natura corporis est ordinata ad totum.

Thomas de Argentina, qui contrariam sententiam sequitur, testatur doctrinam hanc quae formam corporeitatis distinguit ab anima, « esse sententiam omnium doctorum de Anglia, et etiam aliquorum Parisiensium. » In IV. Dist. XIII. q. 1. a. 1. Decessit ipse anno 1357.

Tandem Petrus Aureolus qui floruit circa annum 1317. in IV. Dist. XI. q. 4. a. 1. ait: « quod in animato non sit nisi una forma est vere philosophia nova! »

Effectum est igitur quod probandum assumpsimus, communem sensum formulae huius *forma corporis* cum de anima diceretur non fuisse eum, quem adeo fidenter neoperipatetici quidam affirmant.

Scio quidem exstitisse alios qui in contrariam iverint sententiam; ex quorum numero tamen delendum censemus S. Thomam, licet ex eius quibusdam sententiis perperam intellectis oriri potuerit ea sententia: at quid exinde colligas? opiniones nempe doctorum fuisse divisas, et errare manifestissime eos qui doctrinam thomisticam veluti communem ea aetate depraedicant.

Itaque ex dictis colligere licet 1° ea aetate convenisse inter omnes Scholasticos animam rationalem esse formam corporis, partemque proinde hominis essentialem: 2° convenisse pariter inter omnes animam rationalem esse formam corporis hoc sensu quod sit principium omnis vitae in homine: 3° dissensum vero exstitisse circa hanc quaestionem, utrum anima rationalis sit quoque forma corporeitatis: 4° atque hanc quaestionem fuisse eo tempore non leviter agitatam: 5° maiorem forte sed certe non minorem numerum fuisse eorum qui negantem partem tuebantur. Sane habes Doctores fere omnes qui aliquo speciali et insigni titulo sunt decorati; habes Doctores ex ordinibus tum Minorum, ut Alensem et Scotum, tum Carmelitarum, ut Ioannem de Baccone, tum Servorum Mariae, ut Henricum Gandavensem, tum etiam Dominicanorum, ut Durandum; habes Doctores omnes de Anglia, habes aliquos ex Parisiensibus; ha

bes tandem eos omnes qui Doctoribus illis, qui titulis insignibus sunt decorati, sese haud dubie et discipulos et asseclas tradiderunt, quique plures esse debuerunt; atque ex iis plurimi Concilio Viennensi interfuisse putandi sunt.

Quare duplex distingui potest sensus huius formulae *anima rationalis est forma corporis*, ratione habita effectus formalis animae, qui ea formula significetur. Nempe sensus *genericus*, ut dicam, et *specificus; genericus* eo redit ut anima rationalis sit principium formale vitae omnisque vitae in corpore; pars essentiae hominis exsistens, unumque per se cum corpore constituens: *specificus* spectat ad determinandum modum quo anima corpus informat, sive actuans immediate materiam primam, sive immediate corpus physicum. Ille prior sensus communis erat; quoad alterum vero dissensio erat, atque magna pars imo forte maior aetate Concilii negabat animam immediate uniri materiae primae. Quapropter si dicendum est Patres Viennenses verba haec *anima rationalis est forma corporis* accepisse sensu tunc in Scholis communi, restat ut dicamus accepisse ea tantum sensu generico; quod si quis contendat accepta fuisse sensu etiam specifico qui communior erat, is eo forte adigetur ut fateatur accepta tunc esse eo sensu quo doceretur animam non materiae primae, sed corpori coniungi. Praestat ergo etiam adversariis dicere accepta fuisse ea verba secundum sensum, quem diximus genericum.

Hic porro est sensus, qui ex definitione animae, quam Aristoteles tradidit, sponte efflorescit; quae definitio vulgatissima tum erat: ἐντελεχεια πρωτη σωματος φυσικου ὀργανικου ζωην ἐχοντος δυναμει. De anima L. II. c. 1. Actus primus corporis physici organici potentia vitam habentis. Porro iuxta Aristotelem *actus* respondet *potentiae* ipsam actuans: quaenam vero est *potentia* quam anima *actus* actuat in corpore? Diserte ab Aristotele indicatur *potentia vitam habentis*, est nempe potentia vitae. Ergo anima actus corporis est prout vitam confert. Non dixit Aristoteles animam esse *actum materiae potentia corporis* etc.; sed praesupposito corpore physico et organico, actum esse ait solummodo pro

vita, ad quam corpus est in potentia. Neque dicas eodem modo animam dici *actum corporis*, sicut lux dicitur *actus lucidi*, quod lucidum est ab ipsa luce; nam, omisso quod haec non est proprie definitio lucis, in hac non significatur explicite quaenam sit potentia ad quam lux ut actus refertur; unde licet colligere potentiam eam esse per quam corpus potest esse lucidum, quae potentia actuatur a luce; praesertim cum *lucidum* et *lux* relativa sint: at in priore definitione Aristoteles explicite et diserte significat potentiam quae refertur ad actum; cum vero ipse eam collocet tantum in hoc quod corpus possit vivere, non est amplius integrum interpreti aliam interpretationem imaginari. Unde forma materialis est iuxta Aristotelem actus materiae per quam formam materia fit corpus; sed anima est quidem et ipsa aliqua forma, sed altioris ordinis, et est forma corporis per quam corpus fit vivens.

VI. Porro etiam recentioribus seculis nedum penes Scotistas, sed etiam penes alios haec sententia praevaluit, quin notaretur tanquam erronea, et quin ipsi putarent oportere se defendere a nota oppositionis adversus Concilium Viennense. Speciminis gratia audiatur Lessius maximi nominis Theologus. In Praelectionibus in D. Thomam De Sacramentis q. LXXVI. a. 1. Dub. 1° quaerens « quid praecise includat corpus, quatenus est hic vi verborum respondet: – Sunt duae praecipuae sententiae: prior est, corpus ibi non includere animam, sed formam substantialem quatenus dat esse humani corporis; hanc autem formam praescindere secundum se ab anima humana et forma cadaverica, tamen in re esse alterutram. Ita plerique Thomistae, sed contra; forma substantialis sic abstracte considerata non est producibilis, nam omnis productio necessario terminatur per se primo ad aliquid individuum certae speciei, sed forma substantialis |sic praecise considerata non est certae speciei nec individua; ergo non est producibilis; ergo non est hic ita praecise ex vi verborum... Altera igitur sententia, quae verissima videtur, est: corpus includere solum formas partiales partium heterogenearum, ut formam ossis, carnis, nervi,